



## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Articulus II. An inter necessaria requisita ad agendum sit prædeterminatio  
physica?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

Tertiò. Libertas divina, tanquam perfectio simpliciter simplex & adæquatè increata, est actui divino adæquatè intrinseca (cùm non detur in DEO libertas per modum actus primi, ut ostendimus in tract. de DEO.) Ergò etiam libertas participata in actu secundo est actui adæquatè intrinseca.

12. Hanc ipsam potè perfectionem esse realiter indistinctam ab actu libero, præter universalem rejectionem entitatarum (quam ex Philosophia, suppono,) probatur: Sicuti potentia activa formaliter constituitur agens in actu secundo per ipsum exercitium agendi, ita potentia in actu secundo libera formaliter constituitur per exercitium libertatis: sed exercitium libertatis habetur & concipitur pro illo instanti, pro quo concipitur actus egrediens à potentia indifferenti, & regulata per indifferens iudicium rationis præsuppositivè ad quemcunquè modum vel respectum &c. Ergò totus conceptus libertatis in actu secundo salvatur per ipsummet actum elicito, quatenus connotat iudicium indifferens, seu essentialè suam regulam & radicem, quà ablatà mox desinit tribuere denominationem liberi. Sicut ergò in multorum Philosophorum sententia veritas est intrinseca perfectio cognitionis, quæ tamen in recto nihil dicit ab ipsa cognitione distinctum, sed hoc ipso, quòd objectum extra cognitionem existens ita se habeat, prout cognitio illud enunciat, tribuit denominationem veri; si aliter existat, tribuit denominationem falsi: ita libertas est intrinseca perfectio in actu elicito voluntatis, ut nihil in recto dicat ab ipso actu realiter distinctum: sed actus ipse, quamprimum connotat propositionem indifferentem intellectus, tribuit denominationem liberi; hæc remotà tribuit denominationem necessarij. Unde sicut in illorum Philosophorum sententia, mutatà connotatione objecti, idem actus potest ex vero transire in falsum, ita idem actus voluntatis, mutato iudicio intellectus seu necessario connotato, potest ex necessario in liberum, vel ex libero transire in necessarium: veluti cùm motibus primò primis accedit deliberatio; vel cùm actus charitatis in ultimo vitæ instanti liber necessario continuatur in patriam.

13. Hinc intelliges primò: cur multi Theologi probabiliter admittant, eundem actum dilectio-

nis in Christo, simul fuisse & liberum, quatenus erat actus victoris, regulatus lumine scientiæ infusæ; & necessarij, quatenus erat actus comprehensoris regulatus lumine gloriæ. Eadem quippe entitas juxta diversa connotata potest tribuere diversas denominationes: unde si in Christo compossibile fuit duplex iudicium, unum, quo sine indifferentia vi luminis gloriæ; alterum, quo cùm indifferentia vi scientiæ infusæ repræsentabatur amabilitas Divinæ bonitatis, non est, cur juxta hæc diversa connotata idem actus dilectionis non possit simul tribuere denominationem liberi & necessarij.

Intelliges secundo. Ab Ysambertho & Petro à S. Joseph immeritò imponi Bannes & Alvarez, quasi totam liberi arbitrii indifferentiam collocarent in indifferentia iudicii, non autem in voluntate: non enim formalem sed radicalem solum indifferentiam tribuunt iudicio intellectus, ut ex ipsorummet verbis ostendit Illustrissimus Rhedingus *bic q. 3. a. 2. contro. 2. a. 6. & 7.*

Sic exposità humani arbitrii libertate, necesse est definitionem inspiciamus. Definunt Thomistæ, quòd sit *Dominiun* *qui actus ad opposita, vel facultas voluntatis & rationis ad utrumlibet*. Cuius definitio sensus est; quòd libertas importet independentiam agentis ab objecto, in cuius potest versari, vel actu ita versatur circa unum objectum, ut æquè possit versari circa oppositum. Unde juxta hanc definitionem, actus liber ille erit, qui procedit à facultate, seu a voluntate indeterminata ad utrumlibet.

Communior est altera definitio; libertas est *facultas, quæ postis omnibus requisitis ad agendum potest agere, & non agere*. Et actus liber est, qui procedit à suo principio, ut postis omnibus prærequisitis posuerit non procedere. Quæ quidem definitio duas includit difficiles & celebres quæstiones. *Primò*, quænam sint illa requisita ad agendum, & an inter illa divina physica præmotio sit computanda? *Secundò*, utrum *Ipse posse agere & non agere*, sit accipiendum in sensu composito, vel diviso? ad quas quæstiones dum Thomistæ & Molinistæ diversissime respondent, etiam hæc data definitio ab utraque parte in certo sensu acceptatur, in alio repudiatur: ut utrique difficultati satisfiat, sit

## ARTICULUS II.

*An inter necessaria requisita ad agendum sit prædeterminatio physica?*

### SUMMARIUM.

1. In quibus RR. cum Thomistis conveniant & discrepent?
2. Expositio physica prædeterminationis.
3. Adstruitur prædeterminatio auctoritate S. Scripturæ & Conciliorum.
4. Expenditur efficacia illarum auctoritatum.
5. Morio asserta à Script. & Concil. non est simultanea:
6. Nec tantum moralis,
7. Locus S. August. contra motionem moralium.
8. Et simultaneum tantum concursus.
9. Prima conditio prædeterminationis, ut sit applicatio virtutis ad operandum, ostenditur ex D. Th.
10. Item secunda conditio, ut sit prævia.
11. Acertia, ut non sit tantum moralis, sed physica.

13. *Fundamentum prædeterminationis est essentialis & physica dependentia omnis entis creati à causa prima,*
14. *Et causalitas physica cause prime.*
15. *Certitudo prædeterminationis, & efficacia gratiæ.*
16. *Prioritas dignitatis & universalitatis non salvat dependentiam cause secunda,*
17. *Neque decretum applicativum omnipotentia.*
18. *Prædeterminatio se habet per modum qualitatis fluentis.*
19. *Thomistica doctrina prædeterminationis toto calo distat à Calvinismo.*
20. *Concursus indifferens inutilis & implicatorum.*
21. *Exponitur objecta auctoritas S. Script.*
22. *Expenditur locus Jo. Damasceni ;*
23. *Et D. Augustini.*
24. *Ad objectas querelas Coroz aitarum respondetur.*
25. *Adversariorum replica eliditur.*
26. *Querelam istam jam D. Augustinus amovit.*
27. *Objecta quadam loca ex S. D.*
28. *Aut nihil probant, aut nobiscum contra Adversarios loquuntur.*
29. *Prædeterminatio non obstat divinis exhortationibus ;*
30. *Nec est causa desperationis.*
31. *Prædeterminatio uti est determinatio causalis, ita est causaliter, non voluntaria formaliter.*
32. *Insufficiencia concursus moralis ostenditur.*

## S. I.

## Sententia Thomistica.

1. *PRO* melius penetrando statum quæstionis sciendum, in quibus Thomistæ defensores prædeterminationum, cum Molinistis & Scientiæ mediæ assertoribus conveniant, in quibus discrepent. Conveniunt primò, quòd aliquod liberum decretum DEI circa nostras liberas actiones sit necessarium. Secundo, quòd operatio libera debeat aliquo modo dependere à causa prima. Tertio, quòd DEUS concurrat physice concursu simultaneo. Quarto, quòd ad bonam actionem voluntas à DEO moraliter præmoveatur. Quinto, quòd ipsa voluntas creata se determinet ad operandum. Hæc omnia certa sunt inter Catholicos D. D.

Discrepant autem primò, quòd Thomistæ divinis decretis tribuant intrinsecam & absolutam ex parte actus efficaciam, quâ independenter ab omni suppositione consensus, vel liberæ determinationis nostræ in scientia mediæ prævisæ, DEUS liberas nostras actiones prædefiniat. Quod negant scientiæ mediæ Patroni. Secundo quod illi velint ejusmodi efficaci decreto in tempore respondere efficacem executionem, seu motionem divinam, quæ non tantum simul cum voluntate operetur, sed eandem præterea efficaciter excitet ad operandum. Unde tertio docent, quòd ista motio sit verè realis & physica, naturâ prior quàm libera operatio: utpote causalitas cause primæ, ratione cujus operatio creata à primo agente dependet. Quam eâ de causâ quòd liberam voluntatis determinationem

prioritate naturæ præveniat, antiquo & minime novo nomine prædeterminationem appellant. Hæc autem omnia pro paradoxo libertatis humanæ impediuntur à Molinistis.

Ne porrò nescio quod spectrum sive monstrum tibi imagineris in physica præmotione seu prædeterminatione ( tam gratiosè nimirum aliquando prædeterminatio à suis impugnatoribus depingitur ) en ! genuinam ipsius descriptionem. Est physica & realis motio, à solo DEO procedens, causa creata transeunter impressa, & prioritate naturæ precedens ipsius operationem, per quam causa creata efficaciter excitatur & applicatur ad operationem, conformiter sue naturæ eliciendam.

Dicitur primò, physica motio, ut distinguatur à motione tantum morali & objectiva, quæ tantum est propositio objecti ad modum consilii vel suasionis.

Dicitur secundò, à solo DEO procedens: quia est causalitas causæ primæ quæ talis, realiter ab actu voluntatis aut alterius causæ creatæ distincta ; unde differt à concursu simultaneo, qui non distinguitur ab operatione causæ creatæ, sed simul ab ipsa procedit. Dicitur tertio, transeunter impressa : ut significetur, illam non se habere per modum qualitatis & principii permanentis, sese tenentis ex parte actus primi, sed per modum virtuosæ motionis, quæ pro immediato termino respicit operationem & pertinet ad actum secundum. Dicitur quarto, prioritate naturæ procedens ; quia cum se teneat ex parte actus secundi, sitque ipsa applicatio virtutis activæ ad operandum, secundum temporis durationem semper cum ipsa operatione conjungitur. Dicitur quinto, causam creatam efficaciter applicans ; quo indicatur, quòd præmotio non det posse operari, sed illud supponat sitque unicum ipsius munus, ut causam, præcipuè liberam, reducat ad actum secundum operandi. Dicitur sexto, convenienter sua naturæ, nempe ad liberè operandum, si est causa libera ; (& tunc propriè vocatur prædeterminatio ) ad necessario operandum, si est causa necessaria : prædeterminatio quippe nec dat nec tollit posse liberè operari. Non dat, quia supponit, & est posterior ipso posse: non tollit, quia ex se infert & causat actum convenientem naturæ liberæ, qualis est tantum actus elicitus cum indifferentia & potentia ad utrumlibet. His positis

CONCLUSIO. *Ad omnem actum liberum 3. essentialè requisitum est physica prædeterminatio.* Ita Schola Thomistica, & plurimi quos referunt & sequuntur Salmanticenses in p. 11. 3. d. 10. dub. 8. *Probatum primò S. Scripturæ & Conciliorum auctoritate. Nam Proverb. 21. dicitur: Cor regis in manu DEI, sicut divisiones aquarum, quocunque voluerit, verset illud. Ezech. 36. Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, &c. Philip. 2. DEUS est, qui operatur in nobis velle & perficere. Consilium Arausicanum Can. 9. Quoties, inquit, bona agimus, DEUS in nobis & nobiscum, ut operemur, operatur. Tridentinum contra Calvinum & Lutherum Sess. 6 can. 4. anathema dicit, si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à DEO*

DEO motum & excitatum, non posse dissentire se velit. Accedit auctoritas Catechismi Romani auctoritate ejusdem Concilij Tridentini editi, qui p. 1. de primo Symboli artic. ita habet. *Non solum autem universa, quae fiunt, providentia sua tuetur, atque administrat, verum etiam, quae moventur & agunt aliquid, intimè virtute ad motum atque actionem ita impellit, ut quamvis causarum secundarum efficientiam non impediat, praeveniat tamen: cum ejus occultissima vis ad singula pertingat, & quemadmodum Sapiens ait: Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.*

4. Quarum auctoritatum omnium vis in tale argumentum contrahitur: Motio, quæ DEUS nostras voluntates efficaciter vertit & trahit quod voluerit, facit ut faciamus, operatur ut operemur, excitat & movet ad operationem infallibiliter consequentem, praeveniendo impellit ad actionem, est ipsa, quam tuemur, prædeterminatio physica; sed ejusmodi motionem adstruunt prædictæ auctoritates: ergo etiam adstruunt nostram physicam prædeterminationem. Major probatur. Hæc motio, de qua loquuntur Scriptura, & Concilia, nec est simultanea, nec moralis tantum: ergo est prævia & physica & consequentet ipsam prædeterminatio.

5. Primum membrum antecedentis probatur primò: quia simultaneus concursus non vertit & flectit voluntatem, sed potius ipse flectitur ad voluntatis arbitrium, cum ideò DEUS cum hac numero & specie actione concurret; quia se voluntas ad illam determinavit, ut ex decursu amplius constabit: sed neque concursus simultaneus excitat, movet, impellit ad operandum, nec per illam DEUS operatur ut operemur, neque praevenit efficientiam causæ secundæ: siquidem iste concursus hanc operationem & efficientiam solummodo concomitatur, neque in recto ab ipsa operatione distinguitur, neque ipsam pro suo termino respicit: sicut, cum duo homines concursu simultaneo movent lapidem, non dicitur unus alterum impellere, ad movendum excitare, praevenire motionem, &c. sed tantummodo juvare.

Secundò. In illo sensu Concilium Arausicanum affirmat hanc motionem, in quo illa negabatur à Pelagianis & Semi-Pelagianis, contra quos agebatur. Rursus in hoc sensu Tridentinum affirmat, liberum arbitrium à DEO motum posse dissentire; in quo sensu Calvinus & Lutherus hoc ipsum negabant; quia illorum hæresin retundere Concilio propositum erat: sed neque Pelagiani negabant concursum simultaneum, ut probat *Alvar. L. 1. de auxil. disp. 1.* nec erat discrepatio cum Lutheranis & Calvinistis, an arbitrium posset resistere motioni concomitanti, quæ jam supponit ipsam operationem; & fatentibus Advers. à Calvinistis neque tunc neque modò deducitur in controversiam. Ergò Concilia tantum poterant prævia motionem intelligere, quippe à quâ fatale jugum libero arbitrio imponi isti hæretici calumniosè querebantur; in hoc quidem pares, quòd ex ista prævia motione jacturam libertatis falsà sequelâ deducerent; in hoc imparcs, quòd Pelagiani & Semipelagiani

in gratiam liberi arbitrii mallent gratiam prævenientem examinare: Calvinistæ verò in gratiam efficacis præmotionis mallent arbitrii libertatem evertere.

Alterum membrum antecedentis probatur in primis hæc ipsa ratione: nam neque Pelagiani negabant motionem prævia moralem, quemadmodum patet ex verbis Pelagii à D. Augustino L. de gratia Christi c. 7. relatis. *Nos multiformi & ineffabili dono gratiæ celestis illuminat. Etc. 10. Revelatione sapientiæ in desiderium DEI sapientem suscitatur voluntatem.* Quod etiam ex hoc patet: quia Pelagiani & Semi-Pelagiani negabant illam motionem, quam existimabant inferre præjudicium libertati, & fatalem necessitatem inducere: sed hæc non est motio moralis, ut amini dubium est sed neque nostrorum temporum hæreticis venit in mentem, ut negarent, possibilem arbitrium resistere ejusmodi motioni, quæ in solo consilio, suavione & objecti propolitione consisteret. Secundò. Per motionem moralem non rectè dicitur DEUS habere in manu sua eum hominis, & quocumque voluerit, illud evertere, ergò debet intelligi motio physica. Antec. probatam ex D. Augustino quàm D. Th. Nam ille in I. de corr. & grat. affirmat, *DEUM magis habere in sua potestate voluntatis hominum, quàm ipsi suas: ergò non minus DEO competit potestas physice movendi voluntatem ad actus liberos, quàm conveniat ipsi homini.* Ille in 3. contr. gen. c. 89. hunc eundem Scripturæ locum exponens: *hoc ipsum, inquit, quod Salomon dixit, cor Regis in manu DEI, &c. ostendit non solum divinam causalitatem ad potentiam voluntatis extendi, sed etiam ad actum ipsius.* Atqui physica DEI causalitas extenditur ad potentiam voluntatis: ergò juxta expositionem S. D. Salomon vul. physicam DEI causalitatem, h. e. motionem, influere in actum voluntatis.

## §. II.

*Auctoritas S. P. Augustini & D. Thomæ Aquinatis.*

PROBatur assertio nostra secundò auctoritate S. P. Augustini lib. de grat. & lib. arb. c. 16. *Certum est, nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est, quòd preparatur voluntas à Domino.* Et postea: *Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dicit: Faciam, ut in justificationibus meis ambulatis.* Sed per concursum simultaneum DEUS non facit ut faciamus, non facit ut velimus, non preparat voluntatem; per moralem etiam motionem non præbet vires efficacissimas, cum illa sit intrinsecè fallibilis, & impedibilis per voluntatem, neque infallibilitatem ex scientiæ media (ut aliunde suppono) habere possit. *Rufinus epist. 2. ad Simplicianum: Illud autem visio, quo modo dicitur, DEUM frustra misereri, nisi nos velimus; si enim DEUS miseretur, etiam volumus: ad eandem quippe DEI misericordiam pertinet, ut velimus; DEUS est enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bonâ voluntate. Atqui si per motionem moralem DEUS miseretur, non sequitur infallibiliter: Si DEUS miseretur,*

non sequitur infallibiliter; si DEUS miseretur, etiam volumus, cum morali DEI motioni sapientius resistamus.

Concursum quoque simultaneum ut insufficientem jam rejecit prædictus S. Pater loc. cit. ad simplic. dicens: *Si propterea solum dictum est: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis DEI, quia voluntas sola non sufficit, ut jusse restitue vivamus, nisi adjuvetur misericordia DEI; potest hoc modo dici: Igitur non miserentis est DEI, sed voluntatis est hominis, quia misericordia DEI sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur: illud autem nescio, quomodo dicatur &c.* Ita S. Pater.

Probatur tertio autoritate D. Thomæ, quæ eundem in proposito tam ex claritate, quam copiam textuum, totiusque doctrinæ Angelicæ consequentiã tam manifesta esse videtur, ut non sine magna violentia trahi possit in partem oppositam. Ita breviter ostendo: *Omne agens creatum à DEO movetur ad suam operationem* (sic habet 1. p. q. 105. a. 5. & 1. 2. q. 109. a. 1. aliisque pluribus locis) & eundem sibi motione, quæ habet omnes conditiones ad physicam prædeterminationem requisitas, ergo juxta doctrinam D. Thomæ DEUS physicè prædeterminat omnes causas secundas, etiam liberatas, ad operandum. Antecedentis pars altera, in qua est difficultas, probatur: *Conditiones prædeterminationis physicæ sunt tres.* Primò, ut non sit mera conservatio virtutis activæ, sed vera quædam impressio, motio, & applicatio virtutis ad agendum. Secundò, ut non sit tantum simultanea, sed prævia. Tertiò, ut non sit tantum moralis, sed etiam physica. Et ecce primam conditionem in terminis habet S. D. 1. 2. p. 109. a. 1. *Actio, ait, cujuscunque agentis creati dependet à DEO quantum ad duo: uno modo, in quantum ab ipso habet perfectionem sive firmam (virtutem operandi) alio modo, in quantum ab ipso movetur ad agendum.* Et q. 3. de pot. a. 7. Tertio modo, inquit, dicitur una res esse causa actionis alterius, in quantum eam movet ad agendum; in quo non intelligitur collatio, aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem; sicut homo est causa incisionis cultelli ad incidendum, movendo ipsum. Et hoc ipso modo, subdit, movetur à DEO creaturas: Sic ergo DEUS est causa applicationis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, & in quantum applicat actioni. Viden, utrobique distingui motionem & applicationem virtutis à collatione formæ & virtutis operativæ.

Secunda conditio constat primò ex modò dictis: neque enim causa simultanea dicitur alteram concausam movere & applicare, sed juvare. Secundò, quia ita D. Th. habet in terminis 3. contr. gentes. c. 147. dicens: *Quòd motio moventis præcedit motum mobilis ratione & causâ.* Tertiò, quia loco sup. cit. comparat hanc motionem cum motione causæ principalis ad incisionem cultelli: & 1. p. q. 103. a. R. P. Mezg, Theol. Schol. Tom. 11.

8. cum impressione, quæ à sagittante determinatur inclinatio sagittæ in scopum: sed motio, quam artifex vel causa principalis imprimit instrumento, est prævia & prior naturâ, ergò. *Quartò: Quia* (sunt verba S. D. loc. cit. de pot. a. 3.) *in operatione, quæ DEUS operatur movendo naturam, non operatur natura: Atqui in simultaneo concursu simul operatur natura.* Quintò, quia ut habet q. 22. de verit. a. 8. *Actio voluntatis non tantum est à voluntate ut immediatè agente, sed à DEO ut primo agente, qui vehementius imprimit: sed ratione concursus simultanei non foret à DEO ut primo agente, ut deinceps latius expendemus.* Sextò, quia juxta eundem S. D. in 1. p. 9. 105. a. 2. ad 1. hæc motione DEUS creaturas tangit secundam virtuales contactum: quod est in se recipere impressionem divini, & immutari à DEO, ut ex alibi dictis suppono.

Tertia tandem conditio ostenditur primò: *Movere moraliter, est movere ex parte objecti, & movere physicè est movere ex parte voluntatis: sed ex doctrina D. Th. DEUS utroque modo movet voluntatem, & maxime ex parte voluntatis: ergò DEUS movet voluntatè non tantum moraliter, sed etiam physicè.* Minor habetur in 1. p. 105. a. 4. *Utroque modo proprium est DEO, movere voluntatem: sed maxime secundo modo, interius eam inclinando.* Eadem habet q. 106. a. 2. in c. & q. 2. de verit. a. 1. *Secundò S. D. loc. cit. de ver. dicit: Solus DEUS potest inclinationem voluntatis transferre de uno in aliud, secundum quod vult: atqui voluntatem movere moraliter non est soli DEO proprium; siquidem & Angelis & hominibus convenit: ergò S. D. intelligit motionem physicam.* Tertio: ista motio est à DEO ut primo agente, & tanquam causalitas ipsius, juxta supr. cit. q. 22. de ver. a. 8. sed DEUS non tantum est primum agens morale, verum etiam physicum. Ergò etiam motio debet esse physica. *Quartò: Per suam motionem DEUS cuilibet agenti adest interius quasi in ipso agens* (opusc. 2. c. 130.) sed causa moralis per motionem moralem nihil intrinsecus agit in voluntate. *Quintò: quia DEUS voluntatem movet efficaciter, infallibiliter, immutabiliter; ita ut* (sunt verba D. Th. 1. 2. q. 10. a. 4. ad 3.) *Si DEUS movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quòd ad illud voluntas non moveatur.* Eadem habet q. 6. de malo. a. 1. ad 3. & 2. 2. q. 24. a. 11. Sed hæc omnia de motione morali, utpote intrinsecè impedibili, & saltem metaphysicè fallibili salvari nequeunt. *Sextò: Dantur secundum D. Tho. decreta intrinsecè efficacia & prædefinitiva actuum liberorum; ergò DEUS physicè movet voluntatem ad actus liberos.* Antecedens fuit ostensum in disputat. de DEO. cap. 19. §. 4. n. 4. *consequentia probatur: decretum independentè à scientiã mediâ, intrinsecè efficax & metaphysicè certitudine infallibile, debet continere in sua virtute positionem mediæ & executionis metaphysicè infallibilis: atqui tale medium non est motio moralis,*

ralis, quippe quæ moralis certitudinis limites non excedit. Ergo debet esse motio physica, quæ sola infallibiliter certitudine metaphysicâ infert actum liberum.

## §. III.

*Fundamentum à ratione.*

12. **P**robatur ulterius ratione: DEUS tanquam causa prima, ens primum, & primum liberum debet exercere causalitatem physicam tam respectu actuum liberorum, quam necessariorum; atqui causalitas physica est prædicta determinatio. Ergo. Major patet: quia non minus actus liber, etiam quoad ipsam libertatem, & omnis determinatio causæ liberæ est quidam effectus creatus, ab alio, & physicè dependens à DEO ut causâ primâ, quàm actus necessarius. Causa etiam, quantò effacior, tantò magis se extendit ad omnes reales differentias sui effectus; cum ergo causa prima sit infinita efficaciam etiam in ordine physico: physica quoque causalitas ipsius sese debet extendere ad omnem cujuslibet entis perfectionem ac differentiam, qualis differentia & perfectio est libertas.
13. Minor probatur: Motio physica, naturâ prior quam actus liber, est ipsamet prædeterminatio: sed causalitas physica causæ primæ & primi moventis, est motio physica naturâ prior quàm actus liber; quia ratio hujus causalitatis & motionis actus liber velut effectus causæ primæ subordinatur, & ab illâ dependet. Quis autem Philosophorum unquam dubitavit, causam formaliter in ratione causæ esse priorem; effectum verò, propter dependentiam ac subordinationem quam habet ad suam causam, esse posteriorem naturâ quàm sua causa?
14. Adde, quòd sublatâ physicâ prædeterminatione rueret certitudo divinæ prædestinationis (prout in Tract. de DEO expendimus) & efficaciam gratiæ divinæ, de qua alio loco & tempore. Nunc ad præcludendas Adversariorum responsiones sint sequentia.

## §. IV.

*Corollaria.*

15. **C**olliges primò: Dependentiâ causæ secundæ in causando à causa prima non salvari per prioritatem dignitatis, universalitatis, & quoad subsistendi consequentiam. Nam causalitas causæ est prior prioritate naturæ quàm suus effectus: atqui causa secunda in esse causæ secundæ actu causantis, & causa libera, secundum ipsam suam liberam determinationem & exercitium libertatis, est effectus causæ primæ, ens creatum & ab alio, movens motum &c. Ergo causalitas causæ primæ est ipsâ quâ tali prior secundum prioritatem naturæ.

Præterea: quia inter DEUM & creaturam reperitur subordinatio in perfectione & dignitate, ideo inter illos reperitur ordo prioritatis quoad dignitatem: ergo, quia inter illos reperitur subordinatio quoad causalitatem, etiam dabitur ordo prioritatis quoad causalitatem: an enim subordinatio sine ordine, ordo poterit esse sine prioritata?

Rursus: Non alio ex capite inter divinas personas non datur prius aut posterius, & sola admittitur prioritas originis, quàm quia nulla datur unius erga alteram causalitas & dependentia; ita ut si per impossibile una foret causa alterius, hoc ipso una esset physica causalitate prior, & altera posterior: ergo cum omnis creatura essentialiter dependeat à DEO tanquam causâ primâ eiusque causalitate, eo ipso necesse est, quòd causalitas DEI exerceat prioritatem physicam in causando respectu omnis creaturæ.

*Colliges secundò:* Actus liberi dependentiam à DEO non salvari per hoc, quòd DEUS per decretum in actu primo applicet suam omnipotentiam causæ creatæ, sive quòd habeat decretum concurrenti ad actum liberum, ad quem seipsam voluntas creata determinaverit. Ratio est: quòd vi istius decreti causa secunda formaliter in ratione causæ secundæ & actu operantis non intelligitur dependere à DEO: sed est necessarium etiam in ratione causæ formaliter & actu operantis, sive ratione causalitatis in actu secundæ, per quam formaliter constituitur in esse causæ à DEO ejusque causalitate dependeat: ergo per illud decretum non sufficeret salvari actus liberi dependentia à DEO.

*Colliges tertio:* Prædeterminationem non habere per modum qualitatis & principii permanentis, sed esse quandam realem motionem per modum qualitatis fluentis, habentis esse incompletum, quæ in voluntate subjective recipitur. Ideoque à S. D. appellari solet *intentio*, quo nomine etiam appellat virtutem seu motionem ab agente principali instrumento impressam. Ratio est: quòd prædeterminatio est applicatio agentis ad actum, pro objecto ac termino respectens ipsum actum transeuntem, & se tenens ex parte actus secundi, adeoque transit cum ipso actu.

*Colliges quartò:* Hanc Thomistarum doctrinam de prædeterminationibus toto celo dissentire à sententia & errore tum Lutheri, tum Calvini. Nam primò Lutherus vult liberum arbitrium se solummodò habere passivè. *Secundò* Calvinus admittit quidem aliquam ipsius activitatem, vult tamen illud solummodò spontaneè, non etiam liberè consentire. *Ac tertio* negat voluntatem prædeterminatam ad consentium posse dissentire, aut esse in potestate hominis obtemperare, vel refragari: dum contra Thomam docent & efficaciter probant primò, etiam hæc prædeterminatione ipsam hominis voluntatem seipsam liberè determinare ad actum proprium, eumque cum formali indifferentia producere: cum sit ipsamet applicatio, quæ voluntas effectivè excitatur ad actum, juxta modum suæ naturæ convenientem: unde *secundò*, quia causa non auferit sed infert suum effectum, hæc prædeterminatio non solum creatam libertatem nequaquam offendit, sed insuper causat, ac *tertio* relinquit in voluntate ad consentium prædeterminatâ potentiam ad non consentiendum, seu posse dissentire, non quidem in sensu composito, sed diviso. Cujus quidem celebris distinctionis sensus non ex adversantium partiali & subinde minus æquâ relatione,

tione, sed ex constanti ipsorum Thomistarum applicatione & doctrinâ, quam paulò inferius referemus, peti debet.

**Colliges quinto.** Concursum indifferentem non tantum esse inutilem ad salvandam dependentiam causâ secundâ à causâ primâ, sed etiam implicatorium & indignum DEO. *Ratio primi est:* quia ut salvaret dependentiam actûs liberi & determinationis creatæ à causâ primâ, deberet actus liber & talis determinatio ab illo concursu procedere; sed non procedit: tum quia à causâ indifferenti non procedit determinatus effectus; tum quia ille concursus est naturâ posterior quam determinatio humanæ voluntatis: cum enim ex se sit indifferens ad utrumlibet, ad odium vel amorem, consensum vel dissentium, ut potius sit ad consensum quam ad dissentium, accipit ex determinatione humanæ voluntatis, ac proinde istius ultimam resolutionem expectare debet.

*Ratio secundi est primò:* quia per illum concursum indifferentem DEUS cæco & ignorantî modo concurreret, cum vi ipsius non posset scire, an potius ad consensum vel dissentium, odium vel amorem concurreret: unde *secundò* divina prædestinatrix scientia careret omnimodâ certitudine: medium quippe certò videntî futurum effectum est certa & infallibilis causæ præparatio, ut in Tract. de DEO probavimus: sed concursus indifferens non est certa, imò est nulla causæ præparatio, hocipso quòd non sit prævius: igitur non est medium idoneum, per quod DEUS futurum effectum & actum liberum possit cognoscere. Tertiò, quia per concursum indifferentem non salvatur dignitas gratiæ efficacis: hæc enim à S. Script. & D. Augustini stylo facit, ut *sciamus:* hæc aptat nos in omni bono, Hebr. c. 11, hæc mutat, convertit, subjicit voluntatem, eamque sibi facit obsequentem: facit ex nolente volentem, asneri cordis duritiam, est invicta, insuperabilis, dat vires efficacissimas, agit in vis in voluntate. Quæ omnia concursui indifferenti accommodari non posse perspicuum est, & aliunde supponitur.

## §. V.

*Solvuntur objectiones ab auctoritate S. Script. & P. P.*

**O**bjicies primò auctoritatem S. Script. & SS. PP. Nam primò Eccl. 15. dicitur: *DEUS ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui, adjecit mandata & præcepta sua, si volueris mandata servare, conservabunt te, appropius tibi ignem & aquam, ad quod volueris extende manus tuas.* Subsumis: at non reliquisset hominem in manu consilii sui, si eundem ad omnes suos actus prædefinisset ac prædeterminasset.

Respondet S. D. q. 3. de pot. a. 7. ita objiciens: Eccl. 15. dicitur: quòd DEUS fecit hominem & reliquit eum in manu consilii sui: *Non autem reliquisset, si semper in voluntate operaretur, ergo non operatur in voluntate operante.*

R. P. Mezger, Theol. Schol. Tom. II.

*& ad 12. Ita respondet: DEUS non dicitur dereliquisse in manu consilii sui, quin in voluntate operetur, sed quia voluntati hominis dedit dominium sui actûs, ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis, quod quidem dominium nature non dedit, cum per suam formam sit determinata ad unum.* Ad eòque juxta S. D. ratio, quòd homo dicatur relinqui in manu consilii sui, est, quia ita DEUS operatur in voluntate eandem movendo, ut tamen voluntas ex se non sit determinata ad unum, quo modo formæ naturales sunt determinatæ, sed retineat dominium & indifferentiam. Hoc ipsum clarissimè confirmat in respons. ad 13. *Voluntas, inquit, dicitur habere Dominium sui actûs non per exclusionem causæ primæ, sed quia causâ primâ non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam, & ideo determinatio actûs relinquitur in potestate, & voluntate actionis.* Vides, quemadmodum operatio & motio divina in voluntate, non impedit liberam determinationem voluntatis; quod tamen Adversarii falsò subsumunt, & inferunt.

Objicies secundò: D. Jo. Damasc. l. 2. de fid. 21. c. 30. inquit: *Illud scire interest, DEUM omnia quidem præscire, sed non omnia præfinire; præscit enim ea quæ in nostrâ potestate atque arbitrio sita sunt, at non ita ea præfinit.*

Respondeo primò: Omnino DEUM non ita præfinire ea quæ sunt in nostrâ potestate, sicut præscit: præscit enim nostros actus tam bonos quam malos; at solùm bonos præfinit, malos vero quoad formale non præfinit.

Respondeo secundò, ex S. D. qui hanc ipsam auctoritatem sibi objecit in 3. contr. gent. c. 90. & t. p. q. 23. a. 3. ad 1. illam prædeterminationem à D. Damasceno negari, quæ est cum impositione necessitatis, sicut est in rebus naturalibus, quæ sunt prædeterminata ad unum & c.

Objicies tertiò: D. Augustinus l. 3. de lib. arb. c. 18. ita loquitur: *Brevissimum tene, quacunque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ceditur.* Sed, inquis, physicæ prædeterminationi non potest resisti; ergò. *Secundò.* Idem S. Pater l. de spir. & litt. c. 13. *Legimus, non est potestas nisi a DEO; & rectè non scriptum est, quia verum non est.* Et Tertio l. 7. de civit. *DEUS administrat res, quas condidit, ut eas suos motus agere sinat.* Quarto. Divina motio, quæ humanam voluntatem movet, crebrò appellatur à S. Augustino vocatio, excitatio, suasio, quæ non sunt motiones physicæ, sed morales.

Respondeo ad primum: D. Augustinum non loqui de causâ increatâ movente juxta modum naturæ convenientem; sed de causâ secundâ & creatâ. Ad secundum respond. nempe dari etiam voluntatem malorum, quæ non est à DEO, sed ab homine defectuosè operante. Ad tertium patet responsio ex dictis, quòd nimirum physica prædeterminatio non impediatur, quin voluntas creata ipsam determinet ad operandum. Ad quartum Respond. D. Augustinum ita agnosce- re moralem motionem, ut simul etiam agnoscat phy-

physicam : quomodo aliàs illam posset appellare efficacissimam, iuvicam, insuperabilem? &c.

23. Objicies etiam tritum illud, quòd immeritò Christus Matth. 17. exprobrasset Corozaitis : *si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Potuissent enim Corozaitæ jure optimo respondere : Quid nobis exprobras Tyrios & Sidonios? quid mirum, si illi visis tuis miraculis egissent pœnitentiam, cum tu illos ad agendam pœnitentiam physicè prædeterminâsses. Quòd si tu nos ipsis pares fecisses in prædeterminando, utique & nos pœnitentiam ageremus : sed non erat in nostrâ potestate facere, ut nos prædeterminares. Non minùs Judæi auditâ exprobatione II. 5. *Quid ultra debui facere vineæ meæ &c.* potuissent se excusare & dicere : Domine, ulterius tibi aliquid faciendum fuisset : nimirum danda physica prædeterminatio, sine quâ (inquit de Lugo,) impossibile erat fructum ferre pietatis.

*Respond. primò.* Hanc objectionem etiam in Adversarios retorqueri posse : possent enim Corozaitæ etiam conqueri, & dicere : Domine, Tyrii & Sidonii visis tuis signis ideo in te credidissent, quia tu illa patrâsses in talibus circumstantiis, in quibus per scientiam mediam eos consensus fore prævidisti : age, & in similibus circumstantiis hæc signa apud nos operare, in quibus nos per eandem scientiam mediam consensus esse noscitis, & nos quoque in te credemus.

24. Videtur quidem Clarissimo P. Ilfing in vindic. controv. 14. v. 6. hæc retorsio esse telum sine viribus : quia, inquit, licet permittatur, his positis circumstantiis non fuisset in potestate Corozaitarum, ut haberent alia auxilia gratuita, in quibus per scientiam mediam prævisi fuissent credituri, tamen in illorum potestate fuisset, ut cum his auxiliis conjungerent fidem in Christum; atqui si necessaria ipsis fuisset prædeterminatio physica, quam habere non fuit in illorum potestate, tunc hoc ipso non habuerunt, nec in illorum potestate fuit habere potentiam proximam & completam ponendi fidem ac pœnitentiam &c.

Verùm hæc responsio nondum enervat vim retorsionis; quia assumit & supponit, potentiam proximam sine prædeterminatione physica non esse completam; quod melioris notæ Thomistæ nullus concesserit, & supponenti probandum incumbit. Manet ergo firma vis & paritas retorsionis : Corozaitæ, in sententia Recentiorum, non habent justam causam suæ excusationis; quia licet in his circumstantiis ( quarum positio vel mutatio non est in potestate ipsorum ) positi, nunquam sint credituri, aut pœnitentiam acturi, tamen viribus liberi arbitrii, gratiâ sufficiente instructi, possent agere pœnitentiam : ergò iidem non habent legitimam excusationem suæ infidelitatis in sententiâ Thomistarum, quia licet, suppositâ carentiâ physicæ prædeterminationis, quâ habere non est in illorum potestate, nunquam sint credituri vel pœnitentiam acturi, tamen reverâ viribus liberi arbitrii, gratiâ sufficiente instructi, possunt credere & pœnitentiam agere.

25. Respond. secundò. Similem excusationem & querelam olim à Pelagianis D. Augustino fuisset oppositam; dicebant enim ( prout ipse refert

In L. de corrept. & grat. c. 7.) *cur corripimur, atque quimur, reprehendimur, accusamur? obedientiam (motionem intrinsecè efficacem & prædeterminativam ad obediendum) non accepimus: quid ergò corripimur, quasi eam nobis dare possimus?* Respondet verò S. P. c. 7. *Perseverantia est quidem donum DEI, justè tamen corripimur, qui cum bene viverent, non perseverarunt, ex bona quippe in malam vitam suâ voluntate mutati sunt.* Itaque juxta prædictum S. Patrem, qui non obediunt, nec perseverant, ideo justè reprehenduntur, quia propter auxilia sufficientia, quæ acceperunt; potuissent obedire & perseverare, & propriæ voluntatis malitiâ non perseverarunt, quantumvis ipsorum donum perseverantia, sine quo nemo perseverat, & quod ipsis DEUS minime conferre tenebatur, non receperint. Pari modo Corozaitæ nullam habebunt excusationem, quia, licet prædeterminationem sibi indebitam, vi cujus actu pœnitenter aut crederent, non acceperint, acceperunt tamen auxilia sufficientia, ut credere & pœnitere potuerint; nam prædeterminatio non dat posse, sed illud supponit. Sic neque Judæi sub vineæ parabola adumbrati, habebunt justam excusationem, cur fructum legis non attulerint; fallum enim est, quòd ipsorum physica prædeterminatione fuerit impossibile hunc fructum afferre; cum pollerent libero arbitrio, auxiliis sufficientibus, quæ nemini DEUS denegat, instructo.

## §. VI.

## Objectiones ab autoritate D. Thoma.

*Objectiones tertio* autorit. D. Th. & quidem primò ex 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3. ubi dicit: *DEUS movet voluntatem hominis sicut universali motor, ad universale obiectum voluntatis quod est bonum, sed homo per rationem se determinat ad volendum hoc, quod est verè bonum vel apparet bonum &c.*

Secundò ibidem q. 10. a. 4. dicit: *DEUS non movet voluntatem nostram ex se indifferentem, nisi non ex necessitate illam ad unum determinat.*

Tertiò q. 3. de pot. a. 7. ad 13. determinativam alius, aut, relinqui in potestate rationis & voluntatis.

Quartò in 3. contra gent. c. 86. docet, *concreta sum causa primè determinari & specificari per causam secundam.*

Quintò in q. 6. de malo, a. un. in c. inquit. *ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & puniitio, laus & vituperium.*

Sextò in 2. dist. 37. q. 1. a. 2. ad 5. dicit, *quod ideo agentia libera per se agant, quia per propriam naturam & per proprium judicium actus sui determinant.*

Respond. ad primum. Illo loco non excluditur determinatione causæ creatæ præviâ motionem universalem motoris, sed tantum motionem specialem; sic enim DEUS ad actus malos non movet creatam voluntatem, sed tantum ad bonos. Prout verbis statim subsequentiis indicavit S. D. dicens: *Sed interdum DEUS movet aliquos ad aliquid determinatè volendum, sicut in his quos movet ad gratiam.*

Ad 2. Resp. Hoc ipsum esse, quod omnes Discipuli



Discipuli D. Th. asserunt, & Adversariis probandum incumbere, quòd, si DEUS prædeterminando movet, moveat ex necessitate.

Ad 3. Resp. Determinationem voluntatis aliam esse causalem, aliam formalem. Causalis est motio divina à solo DEO procedens, tantùm libera ut quo. Formalis est ipse actus voluntatis liber ut quod; & de hac loquitur S. D. quòd sit in hominis potestate. Ad 4. Resp. Mentem S. D. esse, quòd concursus causæ primæ determinetur per concursum causæ secundæ non activè [sic enim everteretur subordinatio causarum.] sed objectivè & specificativè: quia, cùm prævia motio pro suo termino immediato respiciat creatam operationem, ab illa quoque extrinsecè specificatur: & si operatio est supernaturalis, etiam prædeterminatio est talis; sin naturalis, etiam præmotio erit ordinis naturalis. Ad 5. Responso est eadem sicut ad 2. Neque enim prædeterminatio imponit fatalem necessitatem. Ad 6. minor, illum locum ab Advers. in suum favorem adduci, cùm ibidem S. D. disertè affirmer, hanc ipsam determinationem, quæ se agentia libera determinant, in DEUM ut primum agens esse reducendum, quòd sine prævio influxu fieri non potest. Verba accipe: *Dicendum, quòd operatio illius agentis, qui per se agit, oportet, ut in primum agens sicut in causam reducat: quamvis enim huiusmodi entia per se agant, quia per propriam naturam, & NB. per proprium iudicium actus suos determinant, NB. non tamen a se habent, quòd agant, sed à primo agente, quod eis esse & posse, NB. & agere conferat.* Hæc S. D.

## §. VII.

## Rationes objectivæ.

**Objicies quòd.** Prædeterminatio physica non relinquit locum divinis exhortationibus, quibus monemur declinare à malo, & facere bonum. Nam cuilibet exhortanti ad poenitentiam occurri poterit: Quid me mones ad poenitentiam, cùm ad hoc necessaria sit prædeterminatio, quam si haberem, utique poenitentem, nec tuâ admonitione indigerem? Rursus hæc ipsa prædeterminatio hominem inducit in desperationem; sic enim licebit discurrere: Aut sum prædefinitus & prædeterminatus ad finaliter perseverandum, aut non sum prædeterminatus? si sum, quicquid nunc mali egero, perseverabo & salvabor: si non sum, quicquid nunc boni egero, non perseverabo nec salvabor. Ergo prædeterminatio tanquam bonis moribus nociva merito est eliminanda.

Respond. Utrumque absurdum jam pridem à D. Augustino depulsum fuisse, nec aliam habere difficultatem, quam quæ priùs in secunda objectione fuit proposita & resoluta. Negatur igitur sequela: nam sicut in sententia Adversariorum non sunt frustraneæ adhortationes, quia, etsi sine positione in iis circumstantiis, in quibus me DEUS ab æterno consensurum vidit, nunquam operabor consensum, tamen hæc ipsæ forsitan sunt illæ circumstantiæ, in quibus me DEUS consensurum prævidit; sicque malè quispiam responderet: Fac ut ponar in iis circumstantiis, in quibus me DEUS benè acturum præ-

vidit; ita pariter in nostrâ doctrinâ non sunt frustraneæ adhortationes, quia forsitan, positus istis mediis adhortationum, DEUS hominem prædeterminare ab æterno decrevit.

Ad dilemma oppositum dico, illud in omni 29. Catholicorum sententiâ solvendum esse; & pridem à D. Augustino de bono persever. c. 17. solum fuisse, quemadmodum in tract. de DEO retulimus. Non igitur prædeterminatio potest aut debet esse causa desperationis, imò ipsa, ceu medium potentissimum nostræ salutis, sperari, peti, & precibus à DEO obtineri debet. In illo quoque dilemmate subsumptum semper est falsum: non enim, si es prædeterminatus ad perseverandum, quicquid boni, malive egeris, perseverabis; quia ipsum beneficium prædeterminativum perseverandi sic aliquando DEUS donat, ut velit ad illud per precedentia bona opera præveniri; & aliis iusto iudicio denegat, quia per mala opera sese illo indignos reddiderunt. Si ergò probabiliter es in statu gratiæ, bene spera, quia habes media sufficientia ad perseverandum, nec DEUS deserit sperantes in se. Time nihilominus, & si scas, vide ne cadas; quia nescis an post lapsum habiturus sis efficacem motionem ad respiscendum, quantumvis haud dubiè sis habiturus sufficientem: fuge verò tanquam à facie colubri peccatum, & si es in statu peccati, convola maturè ad remedium poenitentia; cùm tibi non constet, an non fortè hoc ipsum peccatum futurum sit ultimum, quo DEUS iustissimè offensus, tibi vitæ filium, antequam legitime poeniteris, abscindat.

Objicies quintò. Repugnat voluntati determinari à principio extrinsecò in suis liberis actibus: ergo nulla datur prædeterminatio physica: Antec. probatur. Omnis determinatio voluntatis ad liberam operationem debet esse vitalis, libera, & voluntaria: sed principium extrinsecum non est vitale, & liberum: ergo voluntas ad actum liberum à principio extrinsecò determinari non potest. Major videtur certa; quia nisi voluntas habeat vitalem & liberam determinationem ad operandum, etiam operatio ab ipsa vitaliter, liberè & voluntariè prodire non potest. Minor etiam probatur, & in primis quoad primum membrum: quia vitale agens in hoc differt à non vitali, quòd à seipso moveatur & determinetur ad agendum, sicque in seipso habeat suæ operationis principium. Ergo si determinatio procedat à principio extrinsecò, non potest esse vitalis.

Quoad secundum membrum sequitur ex priori; quia nisi principium sit vitale, non potest esse principium liberæ operationis; sed vitale non est, nisi sit intrinsecum: ergò nisi sit intrinsecum, non potest esse liberæ operationis principium.

Confirm. Determinatio libera debet esse in potestate voluntatis; atqui determinatio à principio extrinsecò, qualis est prædeterminatio, non est in potestate arbitrii, cùm nec acquiri, nec impediri possit à nobis: ergò.

Quoad tertium membrum probatur. Voluntarium est à principio intrinsecò cum cognitione, sed determinatio, quæ est à principio extrinsecò,

¶ ;

trinfeco, neque cognoscitur, neque à voluntate seu principio intrinfeco procedit. Ergò non est voluntaria.

Respond. neg. antec. ejusque probationem distingo primò. Omnis determinatio voluntatis formalis debet esse vitalis, voluntaria, libera concedo. Determinatio causalis, nego. Ergò voluntas non potest determinari à principio extrinfeco, determinatione formali, concedo; causalis, nego consequentiam. Secundò omnis determinatio voluntatis ad actum liberum debet esse vitalis, libera, voluntaria, vel formaliter & ut quod, vel causaliter & ut quod, nego; sed determinatio à principio extrinfeco non est vitalis &c. ut quod, concedo; ut quo, nego. Vel subdividuo; illa quæ provenit à principio creato, concedo; ab increato, nego min. & consequ. Ratio est, quòd quælibet determinatio vitalis & libera, etiam in esse vitalis & liberæ dependet essentialiter à causa prima & primo libero tanquam prima radice omnis vitalitatis ac libertatis, ideoque supponit causæ primæ determinationem, quæ in se virtualiter continet & effectivè tribuat ipsas perfectiones vitalitatis ac libertatis, sitque proinde libera & vitalis ut quo.

Hinc patet *responsio ad probationem Minoris*; & quidem ad primi membri probationem dist. antec. agens vitale à seipso determinatur, determinatione formali, dependente à determinatione causæ primæ, concedo: determinatione tam formali quàm causalis, & independenter à determinatione causæ prioris, nego antec. & consequ. Vel rursus distingo consequ. Ergò determinatio ab intrinfeco non potest esse vitalis, si illud principium sit creatum (hoc quippe uti non continet virtute, ita non tribuit libertatem) concedo: si increatum, quod suà virtute & causalitate se extendit ad omnes modos & differentias entis, nego consequ.

*Ad secundi membri probationem* dist. maj. nisi sit vitale, (subintellige ut quod) non potest esse principium proximum operationis vitalis, concedo: non potest esse remotum, nego. Ergò principium extrinfecum non potest esse principium operationis vitalis proximum, concedo: remotum, nego consequ. Rursus ad confirm. determinatio libera ut quod & formalis debet esse in potestate voluntatis, concedo; determinatio libera ut quo & causalis, nego.

*Ad tertii membri probationem* similiter Resp. voluntarium formale & ut quod, est à principio intrinfeco cum cognitione, concedo: voluntarium causale & ut quo, nego.

31. *Obijcies sextò.* Dependencia humana voluntatis à causa prima, necnon efficax DEI motio sufficienter salvatur per concursum morale; ergò nulla est necessitas ponendi præmotionem physicam. Antec. *quoad primam partem* probatur. Quamvis voluntas tantùm habeat influxum morale in potentias inferiores, tamen istæ concipiuntur habere sufficientem dependentiam à voluntate: ergò etiam vi moralis influxus creatura in suis actibus sufficienter dependit à DEO.

*Quoad secundam partem* probatur primò: Quia

tentationes voluntatem tantùm movent moraliter, & tamen homo absque gratia speciali non potest gravi tentationi resistere. *Secundò*: Er efficaciter intentione finis infallibiliter & necessariò sequitur electio mediè unicè necessarij, quamvis in multorum sententià intentio physicè non determinet ad electionem. *Tertio*: Visio beatifica necessitat ad amorem, nec tamen movet physicè. *Quartò*: Sæpe causa creata efficaciter movet; quamvis suaio tantùm sit causalitas moralis. Cur ergò DEUS suaione & tractione morali non possit efficaciter & infallibiliter movere voluntatem.

Respond. negando antecedens: & ad primæ partis probationem Disparitas est, quòd potentie inferiores habent morale subordinacionem & dependentiam à voluntate, quæ proinde per influxum morale commodè salvatur: Atqui creata operatio & libertas actualis seu physica perfectio & effectus dependet à causa prima etiam in esse physico, unde ulterius indiget influxu physico. Ad secundæ partis probationem Respond. ex dictis: quamvis poneretur motio moralis tantæ efficacitæ, ut semper infallibiliter inferret effectum, tamen esset insufficientis ad salvandam causalitatem causæ primæ: tum quia ab hac creata cuncta dependent in ordine & genere physico; tum quia causa prima est infinitæ efficacitæ, ac proinde requirit infallibilitatem intrinfecam & metaphysicam, qualis tamen moralis efficacitæ esse & dici non potest. Deinde ad primam probat. Respond. Illam impotentiam morale, quæ homo sine gratia speciali gravem tentationem superare non potest, non provenire ex sola efficacitæ tentationis, sed insuper ex debilitate nature lapsæ in suis potentis vulneratæ, ut docetur in Tract. de grat. unde ex hoc non probatur infallibilitas motionis moralis.

Nec dicas: etsi motio moralis absolutè esset fallibilis, non tamen esse fallibilem, quatenus est attemperata libero arbitrio in talibus circumstantiis, in quibus DEUS per scientiam mediæ prævidit, illud liberè cooperaturum. Nam & scientiam mediæ, cui hæc explicatio innascitur, in Tract. de DEO refutatam suppono. & istam attemperacionem, seu contrariam Augustinianæ & intrinfecæ efficacitæ gratiæ, quæ debet esse ex se invicta, insuperabilis, auferre duritiem cordis, facere de nolentibus volentes, sibi que humanam subijcere voluntatem, alibi retinendum locum erit.

Ad secundam Resp. Electionem mediæ necessarij habere intrinfecam connexionem cum efficaci intentione finis, ideoque ex natura rei ad istam consequi: at nullius objecti particularis bonitatis habet intrinfecam connexionem cum hominis voluntate; unde nec ista ullius objecti particularis propositione quæ est ipsa moralis motio) infallibiliter flecti potest.

Ad tertiam Resp. DEUM clarè visum habere intrinfecam connexionem cum bono in communi, unde ad æquat totum hominis appetitum, nec locum indifferenti propositioni relinquit: hoc autem de aliis objectis dici non potest.

Ad quartam Resp. efficaciam suaione non esse

nisi metaphoricè talem : nam propriè & simpliciter efficax non est, quod est simpliciter impedibile suoque effectum frustrari potest : sed omnis

suasio, quæ sit per propositionem alicujus objecti particularis, est talis : ergò.

## ARTICULUS III.

*An prædeterminatio tollat Libertatem?*

## SUMMARI A.

1. Exponitur necessitas absoluta & conditionalis.
2. Necessitas suppositionis non semper obest libertati.
3. Quid sit necessitas antecedens.
4. D. Anselmus nomine necessitatis antecedentis non intelligit omnem illam, quæ oritur ex suppositione antecedenti.
5. Sed quæ orta ex causis naturalibus non relinquit locum indifferentiæ.
6. Nostræ libertatis radix remota & proxima.
7. Concordia prædeterminationis cum libertate ex sententia D. Augustini. 8. Prosperi. 9. & Doctoris Angelici.
10. Et ex ratione ostenditur.
11. Solvitur obiectio necessitatis antecedentis ex S. Anselmo.
12. Inimpeabilitas antecedentis non semper infert necessitatem.
13. Calvinus inepta illatio necessitatis ex inimpeabilitate divine causalitatis.
14. Prædeterminatio tollit indifferentiam potentialem non actualem.

## S. I.

*Explicatur necessitas antecedens.*

Inter potissima argumenta, quibus physica prædeterminatio impugnatur, est illatio absurdi, quod illa posita tolleretur libertas arbitrii, & fatalis cujusdam necessitatis jugum creaturæ rationali imponeretur. Postquam igitur ex natura entis primi, ex intrinseca & essentiali dependentia causæ secundæ & effectûs creati à causa prima, tanquam à priori necessitatem physicæ prædeterminationis deduximus, illam cum arbitrii libertate concordare, & Adversariorum fundamentis occurrere, operæpretium erit. Pro quo

Notandum est primò. Necessitatem dividi in absolutam seu simpliciter, & in conditionalem, seu ex suppositione, & secundùm quid. Absoluta est, quæ oritur ex necessariâ habitudine extremorum ad invicem, uti necesse est hominem esse animal rationale, & totum esse majus sua parte. Conditionalis est quæ oritur ex suppositione alicujus tertii; sicut non est absolute necesse Socratem moveri, est tamen necesse illum moveri, ex suppositione quod currat. Prior necessitas Angelico Doctori est necessitas consequentis; posterior est necessitas consequentiæ.

Ex his prima, videlicet absoluta necessitas, semper præjudicat libertati, quia ubi est necessaria habitudo extremorum ad invicem, non relinquitur locus indeterminationi & indifferentiæ. Necessitas verò suppositionis non semper officit libertati, veluti ex DD. Augustini & Thomæ

Aquinat. doctrina clarè deducitur : nam ille in *Enchirid.* c. 103. inquit : *Nullus sit saluum, nisi quem DEUS voluerit.* Quem locum explanans Doctor Angel. 1. p. q. 19. a. 8. ad 1. dicit : *Per illud verbum Augustini intelligenda est necessitas in rebus volitis à DEO non absoluta, sed conditionalis : necesse est enim hanc conditionalem veram esse : Si DEUS hoc vult, necesse est hoc esse.* Similia habet in 1. dist. 47. a. 1. ad 2. Hujus ratio est : quod potest aliquid necessariò inferri & sequi ex suppositione, quæ sit causaliter vel formaliter libera, h. e. vel causativa ipsius : sed neutra suppositio tollit libertatem ; ergo necessitas ex suppositione non semper tollit libertatem. Major probatur : Ex suppositione, quod quis efficaciter intendat finem, necessariò sequitur electio medii unice necessarii, & tamen electio medii est libera, & potest esse meritoria. Item ex hypothesi, quod se homo liberè determinaverit ad cursum, sequitur necessariò, quod moveatur, & tamen liberè movetur : ex suppositione, quod DEUS aliquid sciat vel fieri velit, necesse est illud esse vel fieri, ut supr. ex S. D. vidimus ; & tamen fit aliquando contingenter & liberè. Ergò quod necessitas ex suppositione vel liberè causata non obstat libertati, libenter ab omnibus conceditur : quod suppositio libertatem causans eandem non impediatur, videtur æquè certum ; quia per quod aliquid ponitur & perficitur, per illud non destruitur ; sed suppositio, quæ causat libertatem, illam ponit & perficit : ergò non destruit.

Notandum secundò. Necessitatem, juxta communem doctrinam Theologorum desumptam è D. Anselmo in 1. 2. *Cur DEUS homo?* c. 18. dividi in *Antecedentem*, & *consequentem*, quarum illa admittit libertatem, non ista. Necessitas omnis, orta ex naturali connexionem causarum ac terminorum, est antecedens, ideoque contraria libertati : uti e contra omnis illa, quæ oritur ex suppositione alicujus effectûs impedibilis & consequentis liberam hominis determinationem, est consequens & innoxia libertati ; At verò, an necessitas proveniens ex aliqua suppositione inimpeabili & antecedente liberam nostræ voluntatis determinationem, hoc ipso sit necessitas antecedens, non ita liquet, affirmantibus scientiæ mediæ patronis, contradicentibus Thomistis, & Catholicis fautoribus prædeterminationum.

Quod atinet ad mentem D. Anselmi, is certè nomine necessitatis antecedentis non potuit intelligere omnem illam, quæ ortum trahit ex aliqua suppositione antecedente determinationem liberam voluntatis. ab eaque inimpeabili. Nam ipsæmet loc. cit. asserit, necessitatem, quæ oritur

ex